

Cum L. Lucullo apud exercitum fuisse.

In Asia scilicet temporibus belli Mithridatici.

Et testamentum saepe fecit nostris legibus.

A partibus ad totum: rebus gestis quam plurimis
5 Archiam signa edidisse civis R., quae non poterat habere
peregrinus.

Quantum alveolo, quantum pilae. § 13

Sunt enim haec, ut vulgo comperimus, genera ludendi.

Quis animo tam agresti et duro fuit, ut Rosci § 17.
10 morte non moveretur?

Quintum Roscium Gallum dicit illis temporibus in-
lustrem comici operis actorem, quem familiarissime Cicero
dilexit, qui non ita pridem vita excesserat.

Ille Marius item eximie L. Plotium dilexit. § 20.

15 Hic primus Romae studia Latina docuisse <fertur>.

Ergo illum, qui haec fecerat, Rudinum § 22.
hominem.

Natione Rudinus fuit Q. Ennius, quem superior Afri-
canus dilectum familiarissime etiam communicato sepulchri
20 honore dicitur in maiorum suorum numerum rede-
gisse. Sepulchrum fuisse traditur extra portam Capenam mille
ferme passibus ab urbe seiunctum.